

Inedita et nuper primum edita.

VIII.

Poetae anonymi oratiuncula recitationi praemissa.

In eo eram ut disponerem ac polirem quae per aliquot annos ad Burmanni Anthologiam Latinorum epigrammatum mihi adnotaveram, et, quo certiore haec fundamento niterentur, contuleram antiquissimum codicem Salmasianum, saeculi fere septimi, uncialibus literis exaratum: id enim felicitatis contigit his *χειδόνων μουσείοις*, quod *γεννηκῶν* poetarum plurimis fortuna invidit, ut in membranis tam vetustis maxima integritate ad posteritatem transirent: cum afferrentur mihi literae doctissimi viri Henrici Meyeri, nuntiantis suam Anthologiae editionem perbrevis absolutum iri, praeter alia subsidia illius quoque codicis ope recensitae; qua quidem carere virum praestantissimum intellexisse mihi videbar ex iis quae scripsit in libro: *Archiv für Philol. und Paed.*, 1833, tom. 2, p. 194, de Ponnano, Etemunde, Coronato, Lindino, Petro Referendario, aliis, tamquam ad XII saeculum referendis, cum eorum carmina legantur in codice Salmasiano. Jam igitur exspectanda erat editio, de qua auguramur optima quaeque: sed non potui quin sine mora cum viris doctis communicarem oratiunculam mirificam, qua unus ex Anthologiae poetis auditorum in recitatione benevolentiam captare voluit. Eo vero magis properandum censebam, quod per hos tres fere annos in manibus philologorum versatur Glossarium Latinum inter apertos librariorum errores tam mira vocabulorum monstra exhibens, ut legens in aliam plane linguam delatus esse tibi videaris. At en tibi scriptorem, Placidi glossematis vere utentem! verum non iis qualia An-

gelus Maius edidit, sed integrioribus, qualia Regii codices praebent, concinentes tantum non ubique cum Salmasiani codicis, ex quo oratiunculam hanc edo, scriptura unciali: quod integritatis eorum et fidei documentum est vel maximum. Simul igitur monstraturus ab illis codicibus quid expectari debeat ad emendationem Placidi et ceterorum glossographorum, ubique contuli Vaticanorum codicum corruptas lectiones, vel certe Vaticanae sedulitatis incuriam. Ceterum tam memorabile opusculum, deinde Placidi fides, Osca nonnulla servantis (vide not. ad lin. 11), ne ignoraretur diutius, felicioribus haec ingenis statim offerre malui, quam ipse iteratis conatibus si quid possim melius experiri. Lincolae duplices eorum versuum initia notant, qui ab rubricata litera incipiunt.

Scripsi Parisiis, mense Novembri, MDCCCXXXIV.

P R A E F A T I O.

Hactenus me intra virgam anni litescentis |
 inhibitum tua heretudo, instar mihi luminis ||
 3 extimanda, de norma reduviare compellit: | sed
 5 antistat gerras meas sanitas delibuta; || et post ar-
 titum Nasonem quasi agredula | quibusdam lacu-
 7 nis baburum stridorem || averruncandus obblatero.
 Vos etiam, viri optimi, | ne mihi in aginam ve-
 9 strae hispiditatis arnan || ti cataclum carmen in-
 reptet, ad ravim meam | magis oreati cicuresque
 11 conspiciate, ut alimones || meis carnatoriis, quam
 censiones extetis. | Igitur conrumo sensu [si] meam
 13 veturem quam || vis vasculam Pieridem, actutum
 de vobis | lampenam comtulam spero: adjuncta nam-
 15 que || cupedia praesumentes jam non exippitan-

17 dum, | sed oppitandum sibi esse coniectant. || Ergo
 bene pedam me hac, pudori citimum, colucari
 censete: | quoniam, si haec nec crepera extiterint
 19 nec fracebunt || quae alucinari velut bovinator
 adactus sum, | voti vobis damnum, usque ad exo-
 21 dium vitulantibus, coagmentem. || Quis enim me
 sonivium, et non murgissonem fa|bula autuma-
 bit quam mentorem | exfabillabit altiboans? Unde
 24 favorem exfebruate || fellibrem, ut apludam har-
 moniae tensore a me | velut ambrone collectam
 adoreos vertatis in struppos.

1. *Intra virgam anni litescentis.* Valde dubitans haec posui. Codex una serie, literis uncialibus, quas in vulgares mutamus: *intrauurgamanilitescentis.* *Uurgam* igitur pro nostro *virgam, animi* pro *anni*. Ab saeculo fere quarto p. Chr. n. plurimos invenimus poetas Ictos: quod facile est explicatu. Recitator itaque noster cum dicat se *intra . . . litescentis* per aliquod tempus *inhibitum de norma reduviare*, i. e. juvenescere, satis probabiliter opinor de feriis forensibus cogitavi, per quod otium ab negotiis ad poesin revertebatur. Quare correxi *virgam*, de foro petita metaphora; *annum* autem *litescentem* novo vocabulo quidni dicat illam anni partem qua jus dicebatur? Nam utitur vocabulis aliquot, quae in Glossariis vel impressis vel Mss. quaesivi frustra. *Bulgam*, quod in *uurgam* corrumpi potuit, habet quidem Placidus: sed parum ei convenit cum seq. verbo *inhibitum*. Neque *burgam* quaeras in *uurgam*, a cuiusmodi vocabulis hic scriptor abhorret. Ceterum in Anthol. Burm. V, 181, 2 noster cod. *uuuit* pro *bibit*, *uu* pro *vi*. Una mutatio vocis *animi* in *anni*, quamvis frequens in aliis codd., nimis paene audax pro nostri integritate. — 2. *Inhibitum.* Cod.

inipitū. Non rara in cod. praesertim *d* pro *t*, et vice versa. — *Heretudo*. Placidus: „*Eritudo*, dominatio.“ — 3. *Ex-timanda*. Cod. *extimandea*. — *Norma*. Cod. *normam*, ut idem alibi frequenter, vitio ex accentu orto, qui jam in Augustei saeculi inscriptionibus super ablativi terminatione cernitur. — *Reduviare*. Cod. *redubiare*. Verbum non est in Placido, sed substantivum: „*Redubiae*, dicuntur spolia serpentum, [1 Par. *serpentium*], quibus quotquot annis senescunt [2 opt. Par. *resenescent*, quod verum], sese exuunt, quasi quibus exuti in juventam redeunt.“ — *Compellit*. Cod. *conpellet*, ut frequenter alibi variat, ex pronuntiatione fluxa illius temporis, quam monstrant etiam inscriptiones. 4. *Meas*. Cod. *mea*. Necessarium esse emendationem ostendit oppositio poesis sanioris, nihilo tamen minus satis ornatae. — *Delibuta*. Cod. *diributa*, qui hic illic *l* et *r* inter se permutat, ob pronunciandi aliquam vicinitatem, quod facile possit pluribus demonstrari. Ne tamen aliquis Placidi glossam: „*Dirivata*, digesta“ etc. huc putet esse referendam, eam ex Parisinis codicibus sine mutatione ulla hic ponam: „*Diriuita*, digesta vel separata: *diriuitio* (Vatt. *derivatio*) enim dicitur *aliquarum rerum* (Vatt. *aquarum*) digestio vel separatio: unde *diriuitores* (Vatt. *dirivatores*) dicuntur, qui populum per centurias (1 Par. *centuarias*) et tribus dividunt.“ In sequenti glossa, „*Deplicuisse*, in liquorem et defectum conversum esse,“ R. Klotzii conj. *delicuisse* in nostris est omnibus. — 5. *Post artitum*. Cod. *posartitum*. Placidus: „*Artitus*, artibus edoctus.“ — *Agredula*. Placidus: „*Agredulae*, ranae parvae multum in sicco morantes.“ — 6. *Baburrum*. Isidori glossae: „*Baburrus*, stultus, ineptus.“ — 7. *Averrucandus*. Cod. *averrucandus*. Idem *oblatero*, et *obtimi*. — 8. *Aginam*. Cod. *anginam*. Placidus: „*Agina*, scapum trutinæ, quod eo mensura ponderis agatur.“ — *Hispiditas* non est in Glossariis. Est hic in iudicando asperitas. — *Arnanti*. Placidus: „*Ar-*

nanti, frementi [sic codd. Paris.; Vatt. *prem.*], murmuranti. — Ceterum Parisini *Armanti*, qui nostro codice arguuntur. — 9. *Cataclum*. Prius *c* in cod. ex *t* factum. Erraverat librarius ob seq. syllabam. *Cataclum* totidem literis codd. Pariss. in Placido, ubi Vatt.: „*Clataculum*, clodorum.“ In explicatione conspirant: quae si integra est, erit id quod clodorum est. — *Ravim*. Cod. *rabem*. Ita autem recitationem suam appellat. — 10. *Magis oreati*. Hoc de conjectura scripsi, fateor, incerta, sed ne lacuna vel syllabis sine sententia inhibeat lector. Cod. *magi-coper TIT*. S in hoc cod. saepe abit vel in *g* vel in *c*, quia curvatura in dextrum aperta major est et ad imam versus lineam pertendit, altera sub linea minor. *T* si ex *A* est ortum, verbum habes *OPERAIT*, quod librarii esse potest manus vitio semel turbati vro *oreati*. Nam non infrequentes sunt in codice nostro literarum et syllabarum transpositiones, quales *FERAUORGIT* pro *fervor agit* in Antholog. Burm. I, ep. 30, v. 1; *Alfastites* in Aethici Cosmographia eadem manu scripta pro *Asfaltites*; *Volavit* Anthol. 1, 71, 130 pro *volat vi*, ne alia conquiram. *Oreati* autem foret frenati. *Orae* nglae ex Festo. Placidus: „*Orae*, freni et habenae [ita codd. Pariss. Vatt.: *Oriefreni*, *hab.*] ab ore dicuntur.“ (Obiter memoro glossam vicinam, *Offa* in optimo codice VIII Saec. primum legi ut edita est e Vatt., deinde iterum, et hanc lectionem sequuntur reliqui, cum hac additione: *Unde offularii coqui*, quia *particulatim id est offatim excoquunt*. *Nunc* (i. e. in loco scriptoris quem explicat) *offa latrantium*, quia etc. Apparet igitur scriptorum illam *offam latrantium* proverbialiter dixisse. Sequitur proverbium obscurum, ap. Ang. Maium, *Obvenisse nisum canimago*: nostri codd. *visum cammago*, vel *cani mago*, nullus *camimaga*.) Ceterum ad *magis* quod reposuimus haud bene struitur illud *quam censiones*: ipsa enim formatio huius vocabuli videtur ostendere scriptorem voluisse potius *alimones*

cum eo continuare. Quare aliud etiam quaerendum, quo interpositum sequentibus voc. *si* et ipsum poterit evitari. Infra etiam, lin. 22, *quam* est pro *potius quam*. — Placidus: „*Cicures*, placidi, quieti.“ Idem: „*Alimones*, ab alimento.“ — 11. *Carnatoriüs*. Sic cod. Quod fieri possit ut pro *carnariis* noster usurpaverit; nam exstabant illa aetate *carnatus* et *carnatio*. Tamen non est credibile. *Carenatores* Placidi, Papiæ *caritores* huc non pertinent, sed pertinere potest *carenum*, de quo hoc praecipit Placidus in glossa, apud Ang. Maium ommissa: „*Caroenum* scribimus per O.“ *Carenaria* apud Palladium est. At dubitationem auget alia glossa Placidi, ita e Vatt. producta: „*Carensis*, pistoribus, a caria quod Afrorum lingua panem esse dicimus.“ Codd. Pariss.: . . . caria *quam osquorum* l. . . . Unde apparet Oscanam esse horum glossematum partem. Ex his igitur alii videant quid de *carnatoriüs* illis debeat fieri. De epulis eum loqui clarum est, et dativum a voc. *alimones* pendere. — *Censiones* vix dubito quin scriptor dixerit pro *ensores*, ex analogia vocabuli *optio*, ut *alimonibus* ex opposito responderet. Alia Placidus: „*Censio*, multa qua citatos si non ponderum [*paruerunt* R. Klotz.] afficiebat censor.“ Sed ex Festo, ut multae aliae, hanc quoque expressam esse, si contuleris Pauli Excerpta: *Censionem facere dicebatur censor, cum multam equiti inrogabat*, persuadebit tibi nostrorum codicum quamvis corrupta scriptura. Optimus: *C.*, multa quam citatusi non pederam censor afficiebat. Illud *pederam cens. aff.* ceteri etiam mordicus tenent, et inesse videtur *pedariorum equitum* mentio, de quibus Varro apud Gellium III, 18; sed hoc quidquid est ex integro Festo haustum indicasse contentus rem relinquo antiquitatum perscrutatoribus. — 12. „*Igitur*, tum (sic Parr., non *dum*), deinde.“ Placidus. — *Conrumus* non reperi in Glossariis; sed exstat *subrumus*. et sententia fert significationem, quod est eorum qui eidem quasi rumae, id

est h. l. mensae, accumbunt. — *Returare*, aperire, ex Varone Nonii notum pp. 167, 3; 557, 2, quo posteriore loco optimi codd. *reürant*, quod damnat eorundem lectionem in priore, *redurant*. — 13. *Vasculam*. *Vasculus* in Placido quidem non obvium; sed inter alias glossas in eximio cod. VIII Saec. haec legitur suo ordine: „*Vascum*, inanem vel nugatorium.“ Quae in posterioribus MSS. explicationibus adj. *Vastum* accessit. — 14. *Lampenam*. Placidus: „*Lampenae*, stellae sic dictae.“ — *Comtulam*. Idem: „*Comptula*, apte ornata, vel decora.“ — *Adjuta* quid sit, Glossaria non docent; neque ego vel explicationem vel emendationem sat probabilem inveni. — *Cupedia*. Contra morem tres priores literae in cod. rubricatae. — *Praesumentes*. Cod. *presumentis*. — *Exippitandum*. Placidus Mai: „*Exipitandum*, dicendum, oscitandum.“ Parisinus: „*Exippitandum*, hiandum, osc.“ Et alius glossa subjecta: „*Exippitare*, hiare, id est os aperire, hiare.“ — 16. *Oppitandum*. Mirum foret in meis me codicibus nihil hujusmodi invenire, cum tamen Isidori glossae offerant: „*Oppito*, sospito, valde saluto:“ nisi haec ita refingenda essent: „*Oppido sospito*, valde s.“ Mei: *Sospitare*, salutare.“ Pluribus modis haec corrupta esse possunt: vel omissis aliquot literis, ut fuerit *oppid[^o laud]andum*, vel ejusmodi aliquid; Placidus explicat *oppido*; vel erat *oppilandum*, oppositum oscitationi, in quo omiserit voc. *os*, ut concinnius etiam syllabae sibi responderent; vel alia, quae in re tam incerta nihil attinet memorare. — *Conjectant*. Cod. *conjectat*. Ad convivas auditores referendum. Post hanc vocem in cod. spatium vacuum, septem fere literis recipiendis idoneum; sed talia in posterum notare inutile, quia lacunae nulla suspicio. Librarius haec, uti cetera, pro versibus habuit, ideoque ab archetypi lineis noluit deflectere. — 17. *Ergo*. Duae priores literae rubricatae. — *Pedam*. *Peda* „nonnullis“ apud Festum est vestigium humanum. Tamen observandum est in hoc

cod. verbum *petere* persaepe scribi *pedere*. — *Pudori citimum*, i. e. pudori proximum, a pudore non recedentem. Nonius: „*Cituma* sunt proxima.“ Similia aliae glossae. — *Colucari*. Ita cod. Mihi probabile est depravatam esse ob vicinarum syllabarum similitudinem aliquam ex Varroniano *tudiculare*, i. e. commovere. Si quis aliud hic quaerendum esse existimet, ei offero glossam ms.: „*Lucar*, locus apertus.“ Hoc autem dicere videtur: Ergo censete me recitaturum bene hac via ingredi, vobis videlicet ad epulas quoque invitatis, quae laudes provocant. — 18. *Crepera*. Cod. *creperat*. Est ap. Placidum. — *Extiterint*. Cod. *extiter*.^{inat}. — *Fracebunt*. Placidus: „*Fracebunt*, sordebunt cett. sordebunt, displicebunt, dictum a fracibus, quae [sic Parr. Vatt.: *qui*] sunt stillicidia sterquilinii.“ — 19. *Bovinator*. Cod. *vovin*. Placidus: *Bovinator*, tricosus et inconstans.“ — 20. *Damnum*. Cod. *damium*, quod licet Placidus habeat (ex Festo), ob sententiam correxi. *Voti damnum vobis coagmentem* dixisse videtur pro voti vos damnabo. — *Exodium* pro fine, ut Varro. — *Vitulantibus*. Cod. *vitulant*.^{is}. — *Coagmentem*. Cod. *cohacmentem*. — 21. *Sonivium*. Cod. *sonibium*, a pr. m. *sonibiom*. Festus affert e carmine Ambarvali pro sonans. — *Murgissonem*. Placidus: „*Murgisson* [sic Pariss. Vatt.: *murgissor*], irrisor, lusor.“ — 22. *Fabula* ablativus. Sententia autem esse videtur: Aliter enim, si non jam recitare incipio, quis vestrum me poetam (dicet) et non irrisorem potius fabulas per urbem serendo narrabit quam magnifice de me loquendo (*altiboans*) ut commentatorem (carminum) in lucem producet? — *Autumabit*. Cod. *autamabit*. — *Mentorem*. Placidus: „*Mentor*, inventor.“ Sine dubio a radice verbi *commentum* esse. — 23. *Exfabillabit*. Cod. *exfaballibit*; ea transpositione literarum, de qua supra ad lin. 10. Placidus: „*Exfabillavero*, exeruero.“ Sic cod. VIII Saec. Ceteri *Exfavillavero*. (Apud Ang. Maium: „*Exsciterit*, expavi vero, exeruero.“ Accedit *Effafilatus* Pauli, quod ex Festo

integro esse, ipsa Placidi glossa *Effusflatus* ostendit: quae manifesto docent, mature Plautinum illud *expapillato brachio* alio fuisse detortum. Relinquendum igitur puto nostro scriptori suum *exfabillabit*: nam aliud compositum, ut a *fabella*, vel ejusmodi aliquid, si restituere malis, majore opus erit mutatione. De *favilla* cogitatum fuisse, ut *exfavillare* sit e *favilla* ac pulvere, ubi aliquis latebat, eruere, non est probabile, quod vocabulum quo explicatur, *exserere*, verae vocis origini respondet. — *Altiboans*. Cod. *altibuans*. Placidus: „*Altiboans*, altisonans.“ — *Favorem*. Cod. *favorem*. — *Exfebruare*. Placidus: „*Exfebruare*, expurgare: februare enim purgare est.“ Sic codd. Pariss. Vatt., si Ang. Maio fides: „*Exfigurari*, expurgare est.“ — 24. *Fellibrem*. Glossae Isidori: „*Fellibrem* (sic codd. Par. Editi *fellebr*), adhuc laetum, viventem.“ — *Harmoniae*. Cod. *armonie*. — *Tensore*. Cod. *temsore*, e pronunciatione. Non est in Glossariis. Verum quis dubitet quin fictum sit a *tendere* (chordas), *tensum*, ut exprimatur lyra chordis intensa. Formatio haec a supino aliam mihi glossam in mentem revocat, ab Ang. Maio editam ita: „*Masum*, evendacem.“ Codd. Pariss.: „*Massucum* (al. *Masucum*), edacem,“ quae est vox *manducus*, a supino *mansum*, *masum* deducta. — 25. *Ambrone*. Placidus (e Festo): „*Ambronem*, perditae (sic Parr.) improbitatis,“ etc. — *Struppos*. Cod. *struppas*. Metaphora satis explicatur iis quae Festus praebet s. v.

[His subjeci schedulam ante menses aliquot scriptam, quod et ipsa ad Anthologiam Latinam pertinet.]

Perlegenti nuper Inscriptionum Latinarum Corpora fieri non potuit quin in mentem rediret Anthologia Burmanni, lapidum epigrammata multa repetens. Horum igitur aliquot tentamus ex iis, quae *iambis scenicis* scripta sunt, multoque etiam infelicius tractata ab editore quam e reliquis non pauca.

1. Anth. IV, 252:

C. CANINIVS C. F. ARN. LABEO PATER.

Omneis mei heic sunt. Filius illum manu,

Ille illam merito missit, et vestem dedit.

Quoad vixi, vixere omnes una inter meos.

Eundem mi amorem praestat puerilem senexs.

Monumentum indicio'st saxo septum ac marmore,

Circum stipatum moerum multis milibus.

Sic omnes dederunt, secuti opinor Fulvium Ursinum, nisi quod initio praebent *Omneis hei mei s.* Unus Pithoeus, nescio unde, *Omneis mei hei s.* *Heic* vel Fleetwoodii vel Labbaei esse videtur. Reliqua intacta fere manserunt. Lapidem se vidisse testatur nemo: quare non erit qui in mutationibus meis, per se etiam satis lenibus, audaciam accuset. Ita igitur haec restituo:

Omnés mei hic sunt, filius, Filumena.

Ille illám marito misit et Vestáe dedit.

Quoad vixi, vixere ómnes una intér meos.

Eundém mi amorem práestat puer itém senex.

Monuméntum indicio 'st sáxo septum ac mármore,

Circúm stipatum flórum multis milibus.

Nimirum diu post mortem patris filius, ejus usque memor, monumentum et patri et matri et sibi aedificat, in quo patrem loquentem facit: Omnes mei hic siti sunt, filius (cujus nomen indicari non necessarium erat, commune quippe cum patre, ut paternum cum avo Cajo et ipso), Philumena uxor, quam filius mortuam extulit ac mihi misit; sed me vivente omnes vixerunt mecum. Eundem vero amorem mihi senex filius praestat, quem puer, ut indicat viatori monumentum splendidum et florum copia magna coronatum. *Philumena* nomen in matrona Romana si cui non sit credibile, ei dabo inscriptionem phialae vitreae ap. Murator. 871, 5: *Ulpiai scitai Philumenai conjugii . . . lacrymas (sic) posuit.* Poteram plura. *Vesta eadem quae terra,* inquit Ovidius, et

nota sunt *Vestae abdita* ap. Avienum. Emendatio *puer item Cannegieteri* est. Florum mentio frequens in titulis sepulchralibus; quos commemorari non opus ei qui legerit Luciani Nigrinum.

2. Epigramma Anthol. IV, 254, cujus typum consummatissimum habes ap. Gruter. 979, 1, nisi quod literas aliquot Smetius invenerat exesas, Pierio superstites. Oculis fidem denegabis, si Burmannum videris hos versus procudentem:

Liberti Erotis, quoi fatum grave

Parcae ac finem vitae statuerunt etc.

Fracto utrimque lapide priores decem versus principio carent, posteriorum longiores fine. Spatia si probe observaveris (nam inaequalis est fractura), hoc carmen ita fere restitui cum probabilitate aliqua posse videbitur:

Hic p̄sita est *Julia, Quincti Ranci filia,*

Ux̄s̄or liberti Pr̄oti; quoi fatum grave

Dedere Parcae ac finem vitae st̄atuerunt.

Decesset bis decem ann̄eis nata indigniter,

Postqūam concepit leiberum sem̄en duplex

. ut p̄areret p̄atrona aux̄silium ac decus .

Ēam post multa c̄ommoda atque inc̄ommoda

Mat̄ura mors eripuit suis par̄entibus.

Qui . . . summo in luctu et sollicitudine

Sup̄er puerp̄erio gn̄atae fletus in dies

Ed̄unt, sibi esse t̄alem ereptam filiam etc.

In reliquis potiore Schraderus Epist. p. LXX sq. recte constituit, aliqua, inter cetera nimis libere reficta, Georg. Fabricius in nota Burm. V. 8 Burm.: . . os, dum Smetius clare mors; v. 16 ita tollit; sed Smetius recte i. tolit, protulit, ne in annotatione quidem monito lectore, quod alibi tamen fit. Fortasse patroni absorptum; v. 9 spatium pro pedum jactura nimis angustum viderint alii quo meliore supplemento explcant. V. 10 Schraderus et alii *desiderio*, quod

proxime praecedentia apte inferri vix patiuntur. In puerperio mortua esse videtur, quod ut non dubito quin hic memoretur, ita elegantiore structura induci potuisse credo. In v. 4 pro *Decesset* non pugno: sed terminatio certe — *et* — *it* in optimorum temporum marmoribus haud raro promiscua.

3. Epigramma IV, 30 Scaliger, cujus emendationes suas fecit Sponius, restituit optime, excepto fere v. 4:

Nam quid egregium quidve cupiendum est magis,

ubi reponit *Namque quid*. Malim: *Nam quid est egr.* cett.

4. Typum lapidum si male nonnumquam exprimit Burmannus, in notis, quod modo dicebam, veras et ex ipsis monumentis petitas lectiones commemorare solet, neque tamen ubique, neque ita ut scias qui lapides suis oculis usurparint. In luculentissima inscriptione sepulchrali Aconiae Fabiae Paulinae, Anth. IV, 201, Bonada et alii, postremo etiam Donatus in Suppl. Mur. 72, 2 versum 30 ita legerunt:

Sed ista parva; tu pius moves te sacris

Teletis, reperta mentis arcano premis,

in quibus neque iambus constat, neque sententia. Tacet hic Burmannus quoque. Sed marmor offert **MOVESTE**SSA-CRIS: e quibus facile fuit elicere:

— — — *tu pius mystes sacris*

Teletis etc.

Pronuntiationem expressisse videtur quadrataris, ut *coelis*, *Grajae*, sic mouestes (*mucstes*) scribens. Sed v. 42 recte *mysteriis*.

5. Verum illi senarii non sunt scenici nostri, ad quos revertimur. Burmannus Secundus hos versus multo etiam minus habebat cognitos quam Patruus, Bentleji si diis placet censor; ac pro pedestri oratione eum habuisse multa scenicis concepta versibus epigrammata mihi plane persuasum est. Auctor vero sim futuro editori Anthologiae, ne ul-

lum hujusmodi epigramma practereat: primum quia perrarae sunt hae scenicae poeseos reliquiae; deinde quia maximam partem sine dubio antiquae, horum versuum pangendi arte jam Prisciani aetate fere deperdita. His ipsis de causis aliquot certe subjiciam eorum, quae ex lapidibus undecunq̄ue collegi.

I. Ap. Fabrett. p. 285, n. 181:

Ita lévis incumbat terra defuncto tibi,

Vél dissint quieti cineribus manés tuis:

Rogó ne sepulcri úmbras violare aúdeas.

Postremus hiatu legitimo. In primo versu pro DEFVNCTO habetur apud Fabrettium DENVNCTIO. Eadem structura cum imperativo in

II. Murator. 1772, 2:

Ita váleas, scriptor: hóc monumentum praéteri.

Confer ib. 1769, 1, ubi *Sic* seq. imp.

III. Donat. 465, 6:

Heus tú viator, ásta! si me praétereis,

Cum diu ámbulareis, támen hoc (sic) veniundúm est tibi.

In primo versu *asta*, *si me* pro lubitu posui, ne corruptio moretur lectorem. Lapidis enim apographum praebet: VIATOR. EAS, et seq. lin. SEQVI. ME, in quo aliud latet, quod haec exaranti in calamum venire nolebat: nam *viator lasse*, *qui me*, quod proximum est, L pro E, sententia non commendat.

IV. In collaribus servorum fugitivorum:

Tene mé quia fugi et révoca me dominó meo.

Murator. 479, ubi plura, sed postremis saepe mutatis addito domini nomine et habitationis loco. Collegit has epigraphas Fabrett. p. 522 sq.

V. Reines. 16, 35:

Hic est sepulta Pacilia Sospita, piá, proba

Bonís probata, summa quae vixit fide:

Qui béne cognorunt, cógnitam bene existimant.

*Have et vale: quae optas eveniant tibi
et tuis.*

Sic saepe in versibus cetera pure scriptis pedes vel desunt
vel abundant, ut

VI. Ap. Gruter. 1127, 2:

Patrem, matrem, liberòs unà lues sustulit.

Lacrumis confecta Cypri filio et nepotibus.

Ubi male trochaicos vidit Gruter. Inscriptio e cod. Palat.
ab eodem protracta, 1152, 2, gravius depravata, quam
prima specie existimes.

VII. Ap. Donat. 341, 1:

Homò bonus, infas (sic) adque (sic) amicus omnibus,

Hic conquiescit ànima superis tradita;

Qui acceptum lumen mense XI reddidit.

VIII. Ibid. 320, 7:

Domino dilectus, quòquo iret sempèr comes,

Poculi minister, doctus palaestrae, aequè (sic) puer,

Sepultus hic sum, natus anno (sic) octo et decem.

Apographum: *doctus palaestrae puer aequè*, quae postrema
transposui. Anno consulto positum videtur; metri angu-
stius pressus versificator literae s elisionem transtulit ad ca-
sum, a quo est aliena. Sed haec hactenus.

F r. D u e b n e r.